Herrn Dr. Hirsch z. fr. Er. an den Professor.

DE FONTIBVS PAVSANIAE
IN ELIACIS.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS PHILOLOGICA
QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE III. MENSIS AVGVSTII ANNI MDCCCLXXVIII
H. XII.
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

PAVLVS HIRT
ZITTAVIENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
H. MÜLLER, SEM. REG. PHIL. SEN.
E. MAASS, „ „ „ SOD.
R. RICHTER, „ „ „ „

GRYPHISWALDIAE
TYPIS CAROLI SELL.
MDCCCLXXVIII.

U. de WILAMOWITZ

PRAECEPTORI SUO

S.

Quicumque in fontibus investigandis distinguendisque studia sua conlocant e quibus insignes eruditionis copiae manaverunt quae apud seros scriptores prostant hoc sibi proponere debent ut et proferant quae certa atque bene stabilita sint et inde a fonte fluctus doctrinae per omnes rivulos persequantur quibus in hunc ex quo nos haurimus lacum deducta est. Tum demum disquisitio perfecta potest appellari, haec omnia si quis ita assecutus erit, ut ratio per singula nomina deducta constet. Hoc vero quicumque in hisce quaestionibus per aliquod temporis spatium versati sunt qui consequantur perpaucos tantum atque qui summo praediti sint ingenio esse bene sciunt. Nam vel hoc tantum si quis evincere studet, ex uno fonte scriptorem quem tractat sua hausisse, habet in quo sudet atque laboret. Plerique enim

qui alienis copiis utuntur quae recipiunt amplificare, circumcidere, inflectere consulto et ex temporis et loci quo versantur rationibus et moribus immutare imprudentes solent. Quare qui coniciant auctorem antiquiorem posterioris fontem unicum esse permulti sunt; qui demonstrent perpauci. Plerumque in eo acquiescendum est quod certo argumento demonstratur antiquiorem a posteriore scriptorem adhibitum omnino esse: raro certis finibus circumscribere licet quae ad fontem ipsum referenda sint et quatenus genuinum saporem servaverint. Multo vero difficilior redditur disquisitio in eis scriptoribus tractandis quos ex pluribus fontibus quae exhibent hausisse censemus. Difficultates enim eaedem quas in uno fonte detegendo modo attigimus inquirenti obstruunt ingressum, accedunt eae quae sunt in secernendis adque suum fontem referendis eis quae nunc in unum corpus legimus coniuncta. Ex hoc igitur genere quod plerasque de fontibus quaestiones complectitur ea quoque est quam tractaturi sumus. Varia enim et multifaria in Eliacis Pausaniae continentur quae primo obtutu diversam referunt originem. Hoc ut demonstremus ex re esse videtur quam brevissime enarrare quae libris V et VI; Graeciae descriptionis a Pausania confectae insunt.

Qui in ceterorum librorum prooemiis Pausaniae mos est idem in huius quoque partis quo ad novam transit Graeciae provinciam describendam initio agnoscitur, praemittere eum *ἀρχαιολογίαν* (V 1. 3—V 5. 1). Enumerat Eleorum reges ab Aethlio usque ad Iphitum,

breviter quot bella Elei gesserint complectitur. Quam narrationem singularis quaedam quasi Elei agri descriptionis particula sequitur in qua de bysso et de equis dicitur.

Adnectitur deinde (V 5.3—V 7.5) Elidis meridionalis descriptio, quam quidem mirum in modum quemque nemo adhuc satis explicuerit ita exorditur, ut qui eam legit periegetam necessario sibi fingat non ex Messenia, quam terram libro quarto descripsit, sed ex alto mari Samicum appellentem. At cum ad fines usque Elidis ipsius — id quod ex libri quarti parte extrema elucet — Pausanias pervenisset, facere non potuit quin transgrederetur Nedam flumen et inde a fine meridionali describeret quae in Elide vidit. Nunc vero verba quae sunt in V 5. 3 *Ἰόντι δὲ ἀπὸ τῆς Ἠλείας χωρίον ἐστὶν ἐπὶ θάλασσαν καθῆκον ὃ ὀνομάζεται μὲν Σαμικόν*, etiamsi lectio non ab omni parte certa sit, hoc certe demonstrant ex loco longe alio descriptionem eum exordiri. Quomodo haec difficultas solvenda sit apud nos nondum constat, hoc tamen nostro iure nobis videmur inde colligere plane novam operis partem quae cum antecedentibus non cohaereat ab illis verbis incipere, atque propterea factum esse ut male cohaereat narratio quod alia ad eam conscribendam Pausanias quam quibus usus est in libro quarto adhibuerit subsidia. Praeterea apparet locum illum de bysso et equis neque cum antecedentibus neque cum sequentibus coniunctum esse.

Postquam Olympiam periegeta pervenit enarrat

quae de certamine Olympico comperit (V 7. 6 — V 9. 6). Quae unde sumpserit indicat verbis: *ἐς δὲ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπικὸν λέγουσιν Ἠλείων οἱ τὰ ἀρχαιότατα μνημονεύοντες* (V 7. 6). Ad hanc partem descriptio templorum ararum statuarum thesaurorum adicitur sat ampla atque luculenta pro describendi genere quo Pausanias in aliis locis ubi artis monumenta praestantissima collecta erant utitur (V 10. 1—VI 21. 3). Qua in narratione viam si quaesiveris quam periegeta inierit vel maxime miraberis eum non enumerare quae viderit eo ordine quo collocata erant sed identidem perlustrare Iovis lucum locorum ubi res quas describit collocatae erant breviter tantum ratione habita atque ita ut nemini adhuc contigerit ex scriptoris verbis imaginem Alteos qualem ipse vidit delineare. Videas enim quomodo descriptio procedat! Templum Iovis atque celeberrima statua describitur V cap. 10 et 11: doctam habes descriptionem atque accuratam. Legas vero, quaeso, capitis proxime initium, ubi quaeritur de ebore: cognosces scriptorem plane dissimilem eius qui modo diligentem periegetam egerat. Qua in re iudicamus quidem solo ex sensu, quem argumenti vice nusquam fungi posse non ignoramus, semper tamen id efficit ut accuratius perpendamus quae inter se cognata quae diversa sint. Capite 13 Pelopis templum commemorat aramque magnam. Cuius mentione facta non absonum esse iudicat statim enumerare omnes quae Olympiae erant aras. (V 14. 4). Comme-

morat aras inde a V 14. 4—V 15. 12, non vero locorum ubi positae erant sed sacrorum in singulis faciendorum ordinem secutus (cf. V 14 4. V 14. 10). Quo fit ut ab aedium descriptione plane deducamur atque primum per totum lucum perducamur viam qua progrediamur ipsi ignorantes. Deinceps periegeta se ad templum Iunonis describendum convertit, quo munere egregie et sicut periegetam decet perfungitur capitibus 17—20. Deinde a capite 21 ad statuas quae per sacrum nemus dissipatae erant enumerandas accedit. Cum vero aliae sint Iovi dicatae, aliae in victorum honorem positae bipartito disserit; primum enim de Iovis donariis verba facit (V 21. 2—V 27. 12), deinde victorum statuas enumerat per librum sextum. Locorum autem ordinem quo positae erant statuae hic quoque neglegit, cum maluerit primum omnes Iovis statuas enumerare (V 25. 1), deinde cetera donaria describere (*ὁπόσα δὲ ἀλλοῖα καὶ οὐ μίμησίς ἐστι Διὸς ἐπιμνησόμεθα καὶ τούτων*), denique statuas commemorare eas quae in victorum honorem positae erant (*εἰκόνας δὲ οὐ τιμῇ τῇ πρὸς τὸ θεῖον τῇ δὲ ἐς αὐτοὺς χάριτι ἀνατεθείσας τοὺς ἀνθρώπους, λόγῳ σφᾶς τῷ ἐς τοὺς ἀθλητὰς ἀναμίξομεν*). Athletarum autem recensum in libri sexti capitibus 1—18 composuit. Hanc Olympiae descriptionis partem qui perlegerit nonnullis in locis vel maxime dubitabit utrum Pausanias id agat ut statuarum causa quae Olympiae erant uberrimam de victoribus proferat scientiam, an eo studeat ut athle-

tarum componat indicem copiosissimum. Per longa enim spatia totus est in referendis narratiunculis de celeberrimis victoribus; nonnumquam victores tantum commemorat, de statuis nullum verbum addit. Tandem inde a capite 19 nonnulla de thesauris de stadio hippodromo aliis Olympiae aedificiis verba facit. Claudit librum perbrevis ceterarum Elidis partium descriptio (21. 3—26).

Vides verum esse quod initio diximus multiplicem copiam talemque quae ad unum eundemque fontem redigi nequeat in libris V VI Pausaniae inesse. Habes enim et antiquissimarum ab Eleis rerum gestarum brevem adumbrationem, et de certaminibus Olympicis narrationem, et accuratam templorum et donariorum et statuarum descriptionem, et uberrimum Olympionicarum indicem. Sed etiam hoc alterum iam patere putamus viam et rationem quam in describendis donariis ceterisque simulacris secutus est non tam veri periegetae esse quam eius qui alius copias uberrimas excerpserit easque per singula genera digesserit.

Haec omnia prolusisse nunc sufficit. Iam vero ad quaestionem ipsam de qua scripturi sumus accedamus oportet. Quam ad quaestionem persolvendam necessarium est ea omnia quae Pausanias ipse de fontibus ex quibus sua deprompserit indicat accurate perpendere. Plura autem ei qui libros V. VI. perlegit testimonia de fontibus sese offerunt. Saepius enim in eis quae de certamine Olympico et Olym-

pionicis enarrantur Olympionicarum fasti citantur (V 4. 6, 21. 9, VI 2. 3, 4. 1, 8. 3, 13. 10, 19. 13, 22.4), in describendis autem praestantissimis artis monumentis aliquotiens exegetarum mentionem facit, a quibus accepisse se quae de statuis et donariis exhibet confitetur. Haec potissimum testimonia colligamus atque examinemus. Etenim cum ad hoc imprimis tendamus ut quae de fontibus Pausaniae prolaturi sumus probabilia sint neque sola coniectura nitantur, hos tantum locos percensebimus. Alia quae de fontibus eorum nobis persuasimus quae de rebus mirabilibus, de artificum aetatibus atque magistris, de antiquissimarum ab Eleis rerum gestarum memoria in libris V VI leguntur, cum aut demonstrare nondum possimus aut demonstrari omnino posse desperaverimus hac ex dissertatione secludenda esse censuimus. Primo igitur capite de Olympionicarum fastis, secundo de periegetae cuiusdam libro Pausaniae fontibus disseremus.

I.

De Olympionicarum fastis Pausaniae fonte.

Magnam partem Olympiae descriptionis Pausaniam ex Olympionicarum quodam catalogo sumpsisse si quis se demonstrare velle profitetur, proficiscatur oportet ex loco Pausaniae editionis Siebelisianae hoce (praef. p. X): „Ac primum quidem multis monumentis veteribus ad res vel cognoscendas vel confirmandas usus est: huc pertinent praeter indices in quibus Olympiades et hieronicarum nomina atque facta consignata erant *κατάλογοι συμμάχων* et donaria operumque inscriptiones. Namque VI 22. 3 mentionem facit *καταλόγου τῶν ὀλυμπιάδων* apud Eleos, quem X 36. 9 *τὰ Ἠλείων γράμματα* vacat, VI 4. 1 *τὴν τετάρτην δὲ ὀλυμπιάδα ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν — οὐκ ἀναγράφουσιν οἱ Ἠλεῖοι.* Eundem hunc catalogum III 21. 1 nominat *τὰ ἐς τοὺς ὀλυμπιονίκας Ἠλείων γράμματα,* ex quibus verbis patet eo

praeter Olympiades et cuiusque victoris nomen et victoriarum genera comprehensa fuisse.“ Pausanias ipse haec scripta commemorat III 21. 1. V 4. 6, 21. 9. VI 2. 3, 4. 1, 13. 10, 22. 3. X 36. 9.

Plura subsidia quibus usus sit nominat V 4. 5/6. *τὸν δὲ Ἴφιτον τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ φησὶν Αἵμονος παῖδα εἶναι, Ἑλλήνων δὲ οἱ πολλοὶ Πραξωνίδου καὶ οὐχ Αἵμονος εἶναι φασίν, τὰ δὲ Ἠλείων γράμματα ἀρχαῖα ἐς πατέρα ὁμώνυμον ἀνῆγε τὸν Ἴφιτον.* Ex tribus quos hic nominat testimoniorum fontibus duos potissimum in reliqua descriptione in usum solet vocare: inscriptiones atque Eleorum catalogos. Loci similes eius quem modo adscripsimus leguntur VI 13. 10: *οὐ μὴν τῷ γε ἐπιγράμματι καὶ τὰ Ἠλείων ἐς τοὺς ὀλυμπιονίκας ὁμολογεῖ γράμματα*, V. 21. 8 *ἐπιγράμματα μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ τούτοις τοῖς ἀγάλμασιν ἔπεστιν, λέγει δὲ .... τὰ δὲ ἐπίλοιπα ἐς τοὺς ἀθλητὰς τούτους οἱ ἐξηγηταὶ λέγουσιν οἱ Ἠλείων — τούτῳ τῷ λόγῳ διάφορα ὄντα εὕρισκον τὰ Ἠλείων ἐς τοὺς ὀλυμπιονίκας γράμματα.* Videmus igitur eum ex victorum catalogo doctrinam quam ex inscriptionibus nactus erat supplesse. Sed cum his catalogis ita usus sit ut et totam partem ex eis exscriberet et ad singulos locos eos adhiberet, bipartito hac de re disputemus oportet. Quare primum de longiore parte quam totam ex catalogo exscripsit disseremus, deinde locos singulos in quibus eum adhibuit adsribemus.

Statuimus autem omnia quae continentur inde a V 7. 6 usque ad V 9. 6 ex catalogo quodam

fluxisse, licet inspexerit etiam Polemonis scripta, quem de ludis *ἀπήνης* (Paus. V. 9. 1) egisse fragmento confirmatur quod servatum est ex Didymi commentariis in Pindarum (Preller. Polem. periegetae fragm. XIII*), et Aristodemi Elei hellanodicarum numerum Harpocratione teste s. v. *ἑλλανοδίκαι* eundem proferentis quem Pausanias V. 9. 4 sqq. exhibet (cf. Val. Rose, Aristotel. Pseudepigr. p. 466). Etenim si ea quae de certaminis institutione enarrat comparaveris cum prooemio quod antecedit Sex. Iulii Africani *Ὀλυμπιάδων ἀναγραφήν*, summam esse inter utrumque scriptorem similitudinem cognosces. Gravissimum autem documentum quo perspicitur Pausaniam catalogo quodam usum esse continetur V. 8, 5—11, ubi quo ordine singulorum certaminum genera instituta sint refertur. Statim ab initio memoria catalogi resuscitatur verbis *ἐξ οὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς μνήμαις ἐπὶ ταῖς ὀλυμπιάσιν ἐστίν.* Atque quae in sequentibus singulis Olympiadibus adscribuntur eadem in Africani catalogo inveniuntur. Porro ex verbis *τῇ δὲ ἑξῆς Ἄκανθος* (V. 8. 7) Pausaniam catalogum secutum esse apparet. Ut enim verissime Schubartus (Ztschft. f. Alterthw. 1847 pag. 219) demonstravit locus sic emendandus est: *τῇ δὲ ἑξῆς [ἐπὶ τῷ δολίχῳ ὁ Λακεδαιμόνιος] Ἄκανθος.* Causas quas protulit repetere cum sit supervacuum, cum certae sint et unicuique qui locum accurate inspexerit probari debeant, hoc tantum hic monere ex re esse videtur locum sic sanatum non modo bene

quadare ad Africani catalogum, sed etiam ad Philostrati qui fertur libellum *περὶ γυμναστικῆς*, cuius auctoritatem Guil. Guttmannus (de Olympionicis apud Mynae Philostratum, Vratislaviae 1865) nobis non infregit. Quo in libro p. 20. Dar. leguntur quae Schubarti emendationem vel maxime commendent: *κατὰ δὲ τὴν) μετ' ἐκείνην δολίχου* (sc. *ἤρξατο*) *ἀγὼν καὶ ἐνίκα Σπαρτιάτης Ἄκανθος.* Cum vero ex utroque fonte et catalogo Olympiadum et scriptore qui in illo nititur Pausaniae similem locum emendare liceat, hunc quoque sua sumpsisse ex Olympionicarum catalogo haud videtur absimile veri.

Pausaniae quinquertii luctaeque institutionem Olympiadi duodevicesimae adscribenti, Eurybatum et Lampida Lacedaemonios victores nominanti I. Africanus assentitur (Ol. 18). De re Philostratus consentit, de victoribus dissentit. Exhibet enim l. l. *ἀνδρῶν δὲ πένταθλον καὶ ἀνθρῶν πάλην ἤσκησεν ἡ ὀγδόη ἐπὶ δέκα Ὀλυμπίασιν· ἐνίκα δὲ πάλην μὲν Εὐρύβατος Λουσιεύς, τὰ δὲ πέντε Λάμπις Λάκων· εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὸν Εὐρύβατον Σπαρτιάτην γράφουσιν.* Equibus apparet Philostratum alium ducem sequi quam Africanum et Pausaniam, neque tamen eum ignorare illorum narrationem Atque cum plures circumferrentur Olympionicarum catalogi facile potuit accidere ut in his minutiis dissensio inter scriptores intercederet. Valde tamen cavendum est ne quis a Philostrato Pausaniam exscriptum esse putet. Ipsa enim enumeratione victorum quattuordecim primarum Olympiadum haec sententia

refutatur. Etenim cum apud Pausaniam commemoretur post Coroebum Eleum solus Hypenus Pisaeus qui in duplicati stadii cursu primus victoriam adeptus est Ol. XV, apud Philostratum eorum omnium catalogum qui in spatio inter utramque hanc victoriam interpositam victoriam consecuti sunt invenimus: *ἦν μὲν γὰρ τὰ πάλαι Ὀλύμπια ἐς τὴν τρίτην ἐπὶ δέκα Ὀλυμπιάδα σταδίου μόνον, καὶ ἐνίκων ἐν αὐταῖς Ἠλεῖοι τρεῖς, ἑπτὰ Μεσσήνιοι, Κορίνθιος, Δυμαῖος, Κλεωναῖος**) *ἄλλος ἄλλην Ὀλυμπιάδα, δύο δὲ οὐδεὶς ὁ αὐτός· ἐπὶ δὲ τῆς τετάρτης ἐπὶ δέκα δίαυλος μὲν ἤρξατο, Ὑπήνου δὲ ἐγένετο Ἠλείου ἡ ἐπ αὐτῷ νίκη.* — Ex ceteris testimoniis, quibus colligitur Pausaniam adhibuisse Olympionicarum fastos, cum summus ibi perspiciatur inter Pausaniam Philostratum Africanum consensus id eligimus in quo de pueris primum in caestuum pugnam vocatis dicitur. Pausanias ex catalogo Olympiade sumpsit quadragesima prima hoc factum esse victore Phileta Sybarita. (cf. Afric. Ol. XLI). Et hanc et alteram de puerilis pugilatus institutionem primoque victore Philostratus sententiam profert p. 24 Dar. *πυγμὴν δὲ παίδων οἱ μὲν φασὶν ἐπὶ τῆς πρώτης καὶ τεσσαρακοστῆς ἄρξασθαι Ὀλυμπιάδος καὶ Φιλητᾶν Συβαρίτην νενικηκέναι, οἱ δὲ ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς λέγουσι Κριὸν ἐκ Κέω τῆς νήσου.* Pausaniam ex uno tantum fonte in enumerandis certaminibus

---

*) Hoc in nomine afferendo Philostratum praeferendum esse Africano Rutgersius (Jul. Afric. Olymp. anagr. p. 6) recte monuit.

deinceps inventis doctrinam hausisse, Philostratum vero accuratiore in hanc rem impenso studio duplicem opinionem cognovisse elucet. Ut breviter rem absolvamus: licet concludere et ex consensu qui est inter Pausaniam Philostratum Africanum, et ex rerum quas Pausanias protulit natura, et ex Africani catalogo, et ex Philostrati quod legitur p. 6 Dar. testimonio (*καὶ ὅπως μὲν ξυνέβη ταῦτα δηλώσω ὕστερον, πρῶτον δὲ ἐπισκεψώμεθα δρόμου αἰτίας καὶ πυγμῆς καὶ πάλης καὶ τῶν τοιούτων καὶ ἐξ ὅτου ἤρξατο ἕκαστα καὶ ἀφ' ὅτου· παρακείσεται δὲ ἁπανταχοῦ τὰ Ἠλείων· δεῖ γάρ που τὰ τοιαῦτα ἐκ τῶν ἀκριβεστάτων φράζειν*) Pausaniam quoque de singulis certaminibus doctrinam ex Olympionicarum fastis hausisse.

Iam si progredimur ad enumerandos singulos locos in quibus fastos Olympionicarum a Pausania adhibitos esse statuimus, primum ad initium libri sexti, quo in libro omnino frequentiorem horum librorum usum detexisse nobis videmur, animum advertamus. Quamquam enim Pausanias se non scripturum esse victorum catalogum ipse asseverat (VI 1. 2), tamen simile quicquam eum moliri ex loco patet qui est X 9. 2: *ἀθλητὰς μὲν οὖν καὶ ὅσοι ἀγωνισταὶ μουσικῆς τῶν ἀνθρώπων τοῖς πλείοσιν ἐγένοντο μετὰ οὐδενὸς λογισμοῦ οὐ πάνυ τι ἡγοῦμαι σπουδῆς ἀξίους· ἀθλητὰς δὲ ὁπόσοι τι καὶ ὑπελείποντο ἐς δόξαν ἐν λόγῳ σφᾶς ἐδήλωσα τῷ ἐς Ἠλείους.* Falso igitur nos conicere ex fonte quem indicavimus plura nos reperturos esse in libro sexto non censemus. Atque statim in initio huius

libri exemplum exstat quo opinionem nostram defendere licet. Nominantur inter alios illustres Eleos victores Dinolochus et Troilus, certa Olympias (CII) adscribitur, singularia quaedam adiciuntur *τῷ μὲν ἑλλανοδικεῖν τε ὁμοῦ καὶ ἵππων ὑπῆρξεν ἀνελέσθαι νίκας τῷ Τρωίλῳ τελείᾳ τε συνωρίδι καὶ πώλων ἅρματι, ἀπὸ τούτου δὲ καὶ νόμος ἐγένετο Ἠλείοις μηδὲ ἵππους τοῦ λοιποῦ τῶν ἑλλανοδικούντων καθιέναι μηδένα*. Sequitur narratiuncula de somnio matris Dinolochi, cuius de fonte in sequentibus disputabimus; cetera Olympionicarum catalogum resipiunt.

Priusquam autem ex ordine narrationis cetera adscribimus exempla, eligere locos ut quoque luculentius id quo tendimus confirmetur ex re esse videtur.

VI 9. 4 sqq. Pausanias Gelonis currum describit. Ex altero fonte quem sequi solet, inscriptiones dicimus, hoc sibi sumit: *ἐπίγραμμα μὲν δή ἐστιν αὐτῷ Γέλωνα Δεινομένους ἀναθεῖναι Γελῷον.* Qua ex inscriptione profectus contra scriptores qui eum Geloni tyranno tribuerint pugnat his verbis VI 9. 4: *οὐ κατὰ ταὐτὰ δοξάζειν ἐμοί τε παρίστατο καὶ τοῖς πρότερον ἢ ἐγὼ τὰ ἐς αὐτὸν εἰρηκόσιν.* Atque sic procedit in refutandis adversariis ut ex catalogo Olympiadem qua Gelon vicerit (LXXII) adscribat, quo appareat, cum Olympiade quae praecesserat Gelon iam tyrannus factus sit, non ad hunc inscriptionem spectare sed ad hominem privatum. Nunc videas qnae sequuntur: § 6. *τῇ δὲ ὀλυμπιάδι τῇ πρὸ ταύτης Κλεομήδη φασὶν Ἀστυπαλαιέα*

ὡς Ἴκκῳ πυκτεύων —. Breviter de victoria Cleomedis loquitur, Astypalaeam reversum eum columnam qua tectum fulciebatur convellisse adicit, pueros qui ibi edocebantur oppressos esse, a civibus fugatum Cleomedem in Minervae templum confugisse et e mortalium conspectu ablatum esse. In his nullum vestigium apparet Olympicarum rerum neque statua neque donarium commemoratur. Atqui si reputaverimus hasce narratiunculas chronicorum scriptoribus vel maxime in deliciis fuisse, respexerimusque ad initium totius quam tractamus narrationis partis *τῇ δὲ Ὀλυμπιάδι τῇ πρὸ ταύτης* et ad sequentem paragraphum *παρὰ δὲ τοῦ Γέλωνος τὸ ἅρμα ἀνάκειται Φίλων τέχνη τοῦ Αἰγινήτου Γλαυκίου*, quin scriptor hic a strenuae periegeseos via lepidae narratiunculae gratia, quam ex fonte eodem quo usus est in Gelonis aetate definienda deprompsit paullum deflexerit non iam dubitabimus. Qui quidem fons Olympionicarum catalogus erat.

Praeter hunc locum duos habemus quibus idem probatur. VI 13. 2 de columna Chionidis quae erat Olympiae disserit atque non Chionidem ipsum sed Lacedaemonios publice eam dedicasse probat. Pergit ad Chionidis gloriam prope accessisse Hermogenem Xanthium et Politen e Ceramo oriundum et Leonidam Rhodium. Cum vero descriptio donariorum continuetur ita ut § 5 novum signum commemoretur his verbis *Χιόνιδος δὲ οὐ πόῤῥω τῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ στήλης Σκαῖος ἕστηκεν ὁ Δούριος Σάμιος κρατήσας πυγμῇ παῖδας,*

Pausaniam uberiorem fontem exscripsisse ex quo similia victoriarum exempla desumpserit patet. Exempla autem nisi ex Olympionicarum catalogo aliunde depromere vix potuit. Alter locus exstat VI 14. init. Colliguntur hic quoque illustres athletae: Pherias Aegineta, Nicasylus Rhodius, Artemidorus Trallianus. Quo tamen in loco signorum descriptio rursus alia via procedit. Postquam enim vidit Pheriae statuam (VI 14. 1 *οὗτος γὰρ δὴ παρὰ τὸν Ἀθηναῖον Ἀριστοφῶντα ἀνάκειται*) pervenit ad Nicasyli signum. Deinde commemorari Artemidori statuam prope Nicasyli signum collocatam exspectamus. Cum vero huius athletae statua non nominetur, immo aliud describatur signum prope Nicasylum positum VI 14. 4 (*Νικασύλου δὲ τῆς εἰκόνος ἵππος τε οὐ μέγας ἔχεται χαλκοῦς*), statuam Artemidori Olympiae non fuisse locumque hoc de victore Pausaniam hausisse ex Olympionicarum fastis iure nobis suspicari videmur.

Restat ut enumeremus locos ubi usus Olympionicarum catalogi aut in aperto positus est aut indiciis perspicitur haud dubiis.

VI 4. 2 Sostrati victoriae enumerantur. Quo in loco et natura rerum quas protulit et verbis *τὴν τετάρτην δὲ Ὀλυμπιάδα ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν (πρῶτον γὰρ δὴ ἐνίκησεν ὁ Σώστρατος ταύτην) οὐκ ἀναγράφουσιν οἱ Ἠλεῖοι διότι μηδ' αὐτοὶ τὸν ἀγῶνα ἀλλὰ Πισαῖοι καὶ Ἀρκάδες ἔθεσαν ἀντ' αὐτῶν*, sententia confirmatur scriptorem inspexisse catalogum. —

Novum exemplum quo sententiam quam proposuimus defendamus in eis quae de Euthymo athleta narrantur invenimus. Praemissum de cicadis miraculum narratio de Euthymi certamine cum Theagene sequitur. Qua in narratione leguntur VI 6. 5 *ἀνελομένῳ δέ οἱ πυγμῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ νίκην τετάρτῃ πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα ὀλυμπιάδι οὐ κατὰ τὰ αὐτὰ ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ὀλυμπιάδα ἔμελλε χωρήσειν.* — § 6 *ἕκτῃ δὲ ὀλυμπιάδι ἐπὶ ταῖς ἑβδομήκοντα τὸ μὲν τῷ θεῷ τοῦ ἀργυρίου γιγνόμενον ἐξέτισεν ὁ Θεαγένης.* — *καὶ ἐπ' ἐκείνης τε αὐτῆς καὶ ἐπὶ τῆς μετ' ἐκείνην ὀλυμπιάδος τὸν ἐπὶ πυγμῇ στέφανον ἀνείλετο ὁ Εὔθυμος.* In his cum res tales sunt quales in catalogis victorum ferebantur, tum numeri Olympiadum trium se excipientium probant Pausaniam catalogum quendam inspexisse. Eadem causa ductis hi quoque loci ex catalogo victorum manasse nobis videntur VI 8. 3, 10. 4, 10. 6, 11. 4, 11. 5, 13. 8, 13. 10, 14. 5, 14. 10.

Postquam Pausaniam in Olympiae descriptione haud parvum fructum ex Olympionicarum catalogo percepisse demonstravimus, iam licet quaerere unde narratiunculas de illustribus athletis desumpserit. Primum colligamus locos oportet. Dicitur VI 5. de Polydamante athleta celeberrimo qui Herculem aemulatus in Thracia leonem occidit, qui taurum ex pede corripuit atque quamvis furentem retinuit donec relicta ungula aufugeret, qui currum manu in rota imposita continuit, qui postquam victoriam de

satellitibus regis Darei reportavit speluncae ruina est oppressus.

VI 6. 4 de Euthymi et victoriis et reliqua quam sibi paraverat gloria pugna cum heroe commissa.

VI 8. 4 de morte quam sibi conscivit Timanthes, cum ad arcum intendendum non iam vires sibi esse sensisset.

VI 8. 4 de phasmate Taurostheni persimili quod eodem die quo vicit Aeginae victoriam eius renuntiavit.

VI 9. 6 de Cleomede Astypalaeense (cf. p. 19).

VI 10. 1/2 de Glauco Carystio, qui manu vomerem infixerat in aratrum atque Olympiae cum paene devictus esset a patre admonitus ut plagam adversario infligeret quam in aratro probasset, victoriam est consecutus.

VI 14. 8 de Milone*).

V 8. 8 de Lygdamide Syracusano Herculis Thebani aemulo (*εἰ δὲ καὶ Ἡρακλεῖ τῷ Θηβαίῳ μέγεθος παρισοῦτο ὁ Λύγδαμις ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα, λεγόμενον δὲ ὑπὸ Συρακουσίων ἐστίν.*)

---

*) Cetera quae de Milone afferuntur ad simulacrum aheneum athletae eiusdem quod positum erat Olympiae describendum spectant. Videas quae disputant Guttmannus (de Olympionicis apud Mynae Philostratum p. 7.) et Fr. Matz (de Philostratorum in describendis imaginibus fide p. 33.)

Nunc iam si quaerimus unde has fabulas delibaverit, quae sane terminos Olympiae descriptionis excedunt, proficisci debemus ex scriptorum quorundam similibus locis. Quare eos colligamus atque observemus qualia sint scripta in quibus inveniuntur.

Ex Olympionicarum fastis Iulii Africani locos hosce afferre licet:

Ol. XXXIII. *προσετέθη παγκράτιον καὶ ἐνίκα Λύγδαμις Συρακόσιος ὑπερμεγέθης, ὃς στάδιον ἐξεμέτρησε τοῖς αὑτοῦ ποσὶν μόνος ἑξακοσίας παραθέσεις ποιησάμενος.*

Ol. XLVI. *καὶ Πολυμήστωρ Μιλήσιος παίδων στάδιον ὃς αἰπολῶν λαγὼν κατέλαβεν.*

Ol. XLVIII. *Πυθαγόρας Σάμιος ἐκκριθεὶς παίδων πυγμὴν καὶ ὡς θῆλυς χλευαζόμενος προσβὰς τοὺς ἄνδρας ἅπαντας ἑξῆς ἐνίκησεν.*

Ol. LIV. *Ἀρριχίων Φιγαλεὺς τὸ τρίτον νικῶν παγκράτιον φιλωθεὶς ἀπέθανε καὶ νεκρὸς ἐστέφθη φθάσαντος ἀπείπασθαι τοῦ ἀνταγωνιστοῦ κλωμένου αὐτῷ τοῦ ποδὸς ὑπ᾿ ἐκείνου.*

Ol. LXXX. *Πάλην Ἀμησινᾶς Βαρκαῖος ὃς βουκολῶν ταύρῳ ἐγυμνάζετο· ὃν καὶ εἰς Πίσαν ἀγαγὼν συνεγυμνάσθη.*

Ol. XCIII. *Παγκράτιον Πουλυδάμας Σκοτουσαῖος ὑπερμεγέθης ὃς ἐν Πέρσαις παρ᾿ Ὤχῳ γενόμενος λέοντας ἀνῄρει καὶ ὡπλισμένους γυμνὸς κατηγωνίσατο.*

Ol. CXIII. *Ἀρεὺς Ἀργεῖος δόλιχον· ὃς ἐν Ἄργει τὴν αὑτοῦ νίκην αὐθημερὸν ἀνήγγειλεν.*

In Philostrati de arte gymnastica libello haec inveniuntur:

p. 22. Dar: *κατὰ δὲ τὴν τρίτην καὶ τριακοστὴν Ὀλυμπιάδα παγκράτιον μὲν ἐτέθη μήπω τεθέν, Λύγδαμις δὲ ἐνίκα Συρακόσιος· μέγας δὲ οὕτως ὁ Σικελιώτης ἦν ὡς τὸν πόδα ἰσόπηχυν εἶναι· τὸ γοῦν στάδιον ἀναμετρῆσαι λέγεται τοσούτοις αὑτῶν ποσὶν ὅσοι τοῦ σταδίου πήχεις νομίζονται.*

p. 22. Dar: *ὁ δὲ νικήσας τὸ τῶν παίδων στάδιον κατὰ τὴν ἕκτην καὶ τεσσαρακοστὴν Ὀλυμπιάδα (τότε γὰρ πρῶτον ἐτέθη) παῖς ἦν καλὸς Πολυμήστωρ ὁ Μιλήσιος ὃς τῇ ῥύμῃ τῶν ποδῶν λαγὼν ἔφθανεν.*

p. 72. Dar: *ἐγυμνάζοντο δὲ οἱ παλαιοὶ οἱ μὲν ἄχθη φέροντες οὐκ εὔφορα, οἱ δὲ ὑπὲρ τάχους ἁμιλλώμενοι πρὸς ἵππους καὶ πτῶκας, οἱ δ' ὀρθοῦντές τε καὶ κάμπτοντες σίδηρον ἐληλαμένον ἐς παχύ, οἱ δὲ βουσὶ συνεζευγμένοι καρτεροῖς τε καὶ ἁμαξεύουσιν, οἱ δὲ ταύρους ἐπαυχενίζοντες οἱ δὲ αὐτοὺς λέοντας. Ταῦτα δὲ δὴ Πολυμήστορες καὶ Γλαῦκοι καὶ Ἀλησίαι καὶ Πουλυδάμας ὁ Σκοτουσαῖος·*

p. 34. Dar: *Γλαῦκον τὸν Καρύστιον ἀπιστούμενον ἐν Ὀλυμπίᾳ τὴν πυγμὴν τῷ ἀντιπάλῳ, Τισίας ὁ γυμναστὴς εἰς νίκην ἤγαγε παρακελευσάμενος „τὴν ἀπ' ἀρότρου πλῆξαι.“ τουτὶ δ' ἄρα ἦν ἡ τῆς δεξιᾶς εἰς τὸν ἀντίπαλον φορά. τὴν γὰρ χεῖρα ἐκείνην ὁ Γλαῦκος οὕτω τι ἔῤῥωτο ὡς ὕνιν ἐν Εὐβοίᾳ ποτὲ καμφθεῖσαν ὀρθῶσαι, σφυρηδὸν τῇ δεξιᾷ πλήξας.*

p. 34. Dar: *ὁ Πρόμαχος — οὐκ ἐνίκα μόνον ἀλλὰ καὶ Πουλυδάμαντα τὸν Σκοτουσαῖον μετὰ τοὺς λέοντας οὓς ὁ Πουλυδάμας ᾑρήκει παρ' Ὤχῳ τῷ Πέρσῃ.*

Praeterea duos adscribere locos ex re est quorum alter apud Solinum legitur (ed. Mommsen. p. 27. 3) „Polymestor Milesius puer, quum a matre locatus esset ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est et ob id statim productus a gregis domino Olympiade sexta et quadragesima, ut Bocchus auctor est, victor in stadio meruit coronam“, alter apud Gellium XV. 16. „Milo Crotoniata athleta illustris, quem in chronicis scriptum est Olympiade prima + coronatum esse exitum habuit e vita miserandum et mirandum.“ Sequitur nota illa fabula de morte Milonis. Atqui cum probabile esse videatur Gellium, qui citaverit chronica ipse, in eis totam de exitu Milonis narratiunculam invenisse, ad Solini vero locum Mommsenii adscribere liceat testimonium de Boccho sic iudicantis (praef. p. XVII.) „is enim non solum citatur ter cum sit omnium minime illustris, sed

citatur etiam non tam ad rem aliquam a paucis traditam vel controversiam probandam quam de rebus apud chronographos omnes relatis et fere tralaticiis, ut sunt aetas Sibyllae Delphicae p. 38_{22} et Polymestor Olympionica p. 27_{3}.", a vero ne aberremus si Pausaniae quoque locos quos enumeravimus ex eodem fonte fluxisse contendimus vix veremur. Quo in iudicio eo adiuvamur quod iam supra demonstravimus ea quae de Cleomede et de Euthymo enarrantur ex Olympionicarum catalogo deprompta esse. Idem fere de loco qui est de Lygdamide Syracusano licet statuere, cum et totam libri quinti partem ubi hoc de athleta dicitur ex Olympionicarum catalogo manasse supra (pag. 12.) ostenderimus et Africani verba quae ol. XXXIII adscripsit locum qui est apud Pausaniam quam maxime illustrent. Porro de Arrhichione Phigalensi (VIII 40. 2) eadem uberius exposuit quae Africanus ol. LIV. in brevius contraxit. Atque cum de Philostrato non dubitemus quin Olympionicarum catalogum adhibuerit, id quod locis qui de Lygdamide et Polymestore sunt probatur, falli nos non arbitramur similes si Pausaniae locos eidem fonti attribuimus.

Sane non ignoramus alios quoque esse fontes, ex quibus fabulas illas quae veterribus scriptoribus in deliciis erant depromere poterant. Quos si quis aperire sibi proposuerit imprimis Aelianum multis locis Variae Historiae athletarum illustrium res enar-

rantem (Hippomachi II. 6, Milonis II. 24, Stratonis IV. 15, Euthymi VIII. 18, Taurosthenis IX. 2, Eubotae X. 2, Eurydamanthis X. 19, Dioxippi X. 22, Titormi X. 22, [Pherenices X. 1]) adeat atque inquirat in Crameri Eclogarium Anecd. Graec. II. p. 154 qui et in Aeliano et in Olympionicarum catalogo nititur*) necesse est. Praeter haec scripta Plinii etiam locos VII 47. 152 de Euthymo, VII 41.133 de Berenice qui ex Callimachi de mirabilibus libro (cf. Indicem auctt. ad lib. VII. Gellium VIII. 4. Westermannum Paradoxogr. Graec. praef. p. X.) fluxere si adhibuerit, fabulas illas etiam a scriptoribus de rebus mirabilibus tractatas esse cognoscet. Caveat autem ne quicquam Suidae**) de illustribus

---

*) cf. locum de Stratone p. 154 cum narratiunculis quae de victoribus qui more Herculis quinquertii luctaeque victoriam reportaverunt apud Africanum leguntur.

**) Priusquam ad alterum huius dissertationis caput transeamus paulo accuratius de locis quos Suidas ex Pausania hausit agamus oportet. Etenim cum inveniantur quae virorum doctorum de his locis sententiam, Suidam quae de celeberrimis athletis Clitomacho, Polydamante, Sostrato, Leontisco, Euthymo, Timanthe, Cleomede, Glauco Carystio, Theagene, Hippomacho, Polite, Milone profert ex Pausania hausisse infringere posse videantur, nostrum est proferre quae ad opinionem quae adhuc de Suida Pausaniae sectatore ferebatur stabiliendam investigavimus. Legitur apud Suidam locus de Sostrato et Leontisco: v. *Σώστρατος Σικυώνιος ἐπίκλην Ἀκροχερσίτης ἐπιλαμβανόμενος γὰρ ἄκρων χειρῶν τοῦ ἀνταγωνιστοῦ ἔκλα καὶ οὐ πρότερον ἠφίει πρὶν αἴσθοιτο ἀπαγορεύσαντος. ἦν δὲ καὶ Λεοντίσκος Μεσσήνιος ἐκ Σικελίας παραπλησίως ἀγωνιζόμενος Σωστράτῳ. ὃ γὰρ ἐκεῖνος ἐποίει παγκρατιάζων τοῦτο ὁ Λεοντίσκος παλαίων. διδαχθῆναι δὲ αὐτὸν παρὰ Κλεάρχῳ μαθητῇ Εὐχείρου τοῦ Κορινθίου καὶ Χίλωνος Πατρέως*. (vid. v. *Ἀκροχειρίζεσθαι*). Huic Suidae loco

athletis locis attribuat, qui cum ex Pausania exscripti sint ad fontes cognoscendos unde ineptae illae narra-

---

respondent quae apud Pausaniam VI 4. 1—4. 6 leguntur. Etiamsi in iis quae de Sostrato et Leontisco enarrat multo brevior atque neglegentior Suidas est quam Pausanias tamen easdem res quae apud Pausaniam inveniuntur attingit. Cum vero de tribus Atticis artificibus nullum verbum apud Suidam inveniatur, totaque haec Pausaniae paragraphus et propter elocutionem (ὁ δὲ παῖς ὁ ἀναδούμενος ταινίᾳ τὴν κεφαλὴν ἐπεισήχθω μοι καὶ οὗτος ἐς τὸν λόγον) et propter res quas continet additamentum aliunde petitum esse videatur, non falso ex eo, quod in fine Suidae loci Chilon Patrensis commemoratur qui apud Pausaniam est VI 4. 6 init., fortasse quispiam coniecerit Suidam omnino Pausaniam non exscripsisse, potius utrumque scriptorem ex eodem fonte ea quae de illustribus athletis exhibet sumpsisse, Pausaniam vero novum membrum in loco quem tractamus addidisse. Sic si quis iudicaverit putabit fortasse etiam in loco Suidae de Clitomacho argumentum contineri quo haec sententia confirmetur. Quae enim apud Suidam de Clitomacho et Capro dicuntur bene cohaerent, cum apud Pausaniam VI 15 alienis interpositis misere videantur dilacerata esse. Accedit quod in eis quae apud Pausaniam inserta sunt (VI 15. 6,7,8,9,) singulare quoddam argumentum agnoscitur. Nominantur enim ibi statuae quae publice a civitatibus nonnullis Olympiae positae erant velut Erythraeorum, Syracusanorum, Palensium, Lacedaemoniorum, — Archidami enim Agesilai filii statuam a Lacedaemoniis Olympiae publice positam esse Pausanias docet VI 4. 9 — Byzantinorum donaria. In propatulo igitur esse videtur narratiunculam de Capro apud Pausaniam alienis inquinatam esse additamentis cum Suidas eam puram conservaverit.

Porro cum mirum sit quod Suidas, si eum nobis Pausaniam exscribentem fingimus, in loco de Cleomede VI 9. 6 sqq. ultimum Pausaniae narrationis membrum (— ἀποστέλλουσιν ἄνδρας ἐς Δελφοὺς ἐρησομένους ὁποῖα ἐς Κλεομήδην τὰ συμβάντα ἦν. τούτοις χρῆσαι τὴν Πυθίαν φασὶν

ὕστατος ἡρώων Κλεομήδης Ἀστυπαλαιεύς
ὃν θυσίαις τιμᾶθ᾽ ἅτε μηκέτι θνητὸν ἐόντα.

tiunculae fluxerint nihil valeant. At cum constet primo apud chronographos has de illustribus athletis

---

Κλεομήδει μὲν οὖν Ἀστυπαλαιεῖς ἀπὸ τούτου τιμὰς ὡς ἥρωϊ νέμουσιν) plane omiserit, ratum esse videtur statuere utrumque scriptorem fontem eundem exscripsisse, Pausaniam autem novum hoc de oraculo additamentum apposuisse.

Tamen haec sententia falsa est valetque eorum qui statuerunt Suidam Pausaniam exscripsisse. Etenim cum in locis ubi res easdem tractant (Suid. v. *Κλειτόμαχος* = Paus. VI 15. 3. 4. 5. 10. 16. 1. v. *Πολυδάμας* = VI 5. 1. 5. 6. 7. 8., v. *Σώστρατος* et *Ἀκροχειρίζεσθαι* = VI 4. 1—4, v. *Εὔθυμος* = VI 6. 5. 7. 8. 9., v. *Τιμάνθης* = VI 8. 4., v. *Κλεομήδης* = VI 9. 6., v. *Γλαῦκος Καρύστιος* = VI 10. 1. 2. 3., v. *Θεογένης* = VI 11. 2/3., v. *Νίκων* = VI 11. 6.7.8., v. *Ἱππόμαχος* = VI 1. 2.6., v. *Μίλων* = VI 14) et verborum et cogitationum consensus summus sit, eaque etiam apud Suidam legantur quae Olympiae periegesin resipiunt (v. *Γλαῦκος Καρύστιος — σκιαμαχοῦντος δὲ ὁ ἀνδριὰς παρέχεται σχῆμα ὅτι ὁ Γλαῦκος ἦν ἐπιτηδειότατος χειρονομεῖν*, v. *Πολυδάμας — ταῦτα τὰ ἔργα ἐπὶ τοῦ ἀνδριάντος ἐδηλοῦντο ἐν Ὀλυμπίᾳ*), neque quare in loco de Sostrato ad Chilonis, de quo historiola ceteris similis non affertur, mentionem adductus sit nisi Pausaniae loco quem exscripsit perspiciatur, iudicemus oportet Suidam Pausaniam exscripsisse. Utrum ipsum Pausaniam Suidas exscripserit an interpositus sit scriptor inter utrumque auctorem, ex quo Suidas sua hauserit non liquet. Quae enim de Sostrato et Leontisco enarrat nonnullis omissis ex Pausania sumpsit, quo tamen in loco non in verbis sed in rebus tantum inter utrumque scriptorem consensus cognoscitur, novumque apud Suidam membrum quod in Pausania non invenitur exstat. Nam cum apud hunc Suidas legisset VI 4. 1 *Σικυώνιος Σώστρατος παγκρατιαστὴς ἀνὴρ* et VI 4. 3 *παρὰ δὲ τὸν Σώστρατον παλαιστὴς ἀνὴρ πεποίηται Λεοντίσκος* — ex his novum enuntiatum composuit *ὃ γὰρ ἐκεῖνος ἐποίει παγκρατιάζων τοῦτο ὁ Λεόντισκος παλαίων.* Praeterea Homeri versum, cuius apud Pausaniam modo summam legimus, integrum Suidas adscripsit: v. *Πολυδάμας — ἔμελλε δ' ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ ῥώμης ἀπο-*

narratiunculas exstitisse, Pausaniam autem Olympionicarum catalogo per totos libros quintum et sextum saepenumero usum esse, vix invenietur quin concedat Pausaniam quae de athletis celeberrimis enarrat ex Olympionicarum fastis sumpsisse.

λέσθαι ὡς καὶ ἄλλοι οἱ ἐπὶ ἰσχύι μέγα φρονήσαντες· ὡς καὶ Ὅμηρος περὶ Ἕκτορος

Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος —.

Haec sunt quae indicare nobis videntur Suidam non ipsum Pausaniam exscripsisse sed scriptorem qui post Pausaniam vixit, ipsum aetate antecessit. Cum vero perpauca sint haec indicia neque firma, sententiam Suidam Pausania ipso usum esse veram esse hac potissimum de causa confitemur quod Pausaniae locos non ita immutatos atque turbatos apud Suidam invenimus sicut fieri debuit alio scriptore inter eos interposito.

II.

De fonte Pausaniae in monumentorum descriptione.

Nunc si accedimus ad alteram quam hac in dissertatione nos tractaturos esse polliciti sumus quaestionem solvendam, quo ex fonte Pausanias quam profert donariorum et statuarum descriptionem accuratissimam hauserit, hoc vel maxime veremur, ne ab eorum omnium qui in hanc rem inquisiverunt sententia plane discedere aut novi quid atque inauditi defendere nimis audacter censeamur. Licet vero hoc nobis subeundum sit, tamen audemus contra vulgarem opinione pugnare propterea quod argumentis haud infirmis quae prolaturi sumus tueri posse nobis videmur.

Principium sit ut breviter explicemus qualis a Pausania monumentorum quae Olympiae exstabant descriptio composita sit. Quicumque hanc partem inspexerit, praeter accuratissimas Iovis

Olympii et cistae a Cypselidis dedicatae descriptiones hoc quam maxime mirabitur totam paene narrationem ex certissimis inscriptionum testimoniis pendere, cum in ceteris libris rarus tantum earum usus inveniatur.

Habes enim uberrimam inscriptionum silvam per librum quintum et sextum dissipatarum. Commemorantur plures quae in cista incisae erant (V 17, 18, 19), deinde earum fit mentio quae legebantur in Iovis statuis eis quae ex multaticia pecunia erectae erant (V 21.), porro magna pars earum quae in ceteris Iovis donariis inscriptae erant (V 22—27), denique in statuarum quae in victorum honores positae erant catalogo persaepe vel inscriptiones ipsae adscribuntur vel quod eis inerat refertur verbis praemissis *τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ φησίν* (VI 1. 4, 7; 2. 6, 9; 3. 1, 2, 7, 14; 4. 6, 8, 11; 5. 7; 7. 9; 8. 2; 9. 9; 10. 5, 7; 12. 8; 13. 2, 5, 7, 10; 14. 10, 12; 15. 2, 8; 16. 2, 4; 17. 4, 6.). Ad hos locos quos ex inscriptionibus se sumpsisse Pausanias ipse profitetur alii accedunt quos ex inscriptionibus fluxisse hoc altero argumento evincitur. Ab eis enim qui Olympiae hac aetate effodiunt quae in terra per tot saecula condita erant praeter sat amplum numerum inscriptionum quarum apud Pausaniam nullum vestigium reperitur nonnullae etiam inventae sunt quae cum verbis scriptoris consentiunt. Ut demonstremus quam artus inter hasce inscriptiones et Pausaniam intercedat

conexus, ex re est adscribere quae ipsorum titulorum ope nunc ad fontem suum revocare licet. Subscribimus autem titulos excerptos ex Ephemeride Archaeologica Berolinensi, haud ignari et auctum ultima hieme hunc numerum esse et auctum iri: nec tamen aut exspectare plura attinebat, neque aliud nunc agimus nisi ut Pausaniae fontem indicemus; multa et gravia quae de ipsis titulis dicenda esse haud ignoramus consulto procul habuimus.

V 24. 3: *τοῦ ναοῦ δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ μεγάλου Ζεὺς πρὸς ἀνατολὰς ἡλίου μέγεθος μὲν δώδεκα ποδῶν, ἀνάθημα δὲ λέγουσιν εἶναι Λακεδαιμονίων ἡνίκα ἀποστᾶσι Μεσσηνίοις δεύτερα τότε ἐς πόλεμον κατέστησαν· ἔπεστι δὲ καὶ ἐλεγεῖον ἐπ' αὐτῷ "Δέξο ἄναξ Κρονίδα Ζεῦ Ὀλύμπιε καλὸν ἄγαλμα Ἱλάῳ θυμῷ τοῖς Λακεδαιμονίοις."* [1])

V 26. 1: *Μεσσηνίων δὲ τῶν Δωριέων οἱ Ναύπακτόν ποτε παρὰ Ἀθηναίων λαβόντες ἄγαλμα ἐν Ὀλυμπίᾳ Νίκης ἐπὶ τῷ κίονι ἀνέθεσαν, τοῦτό ἐστιν ἔργον μὲν Μενδαίου Παιωνίου, πεποίηται δὲ ἀπὸ ἀνδρῶν πολεμίων.* [2])

V 27. 9: *Βοῶν δὲ τῶν χαλκῶν ὁ μὲν Κορκυραίων, ὁ δὲ ἀνάθημα Ἐρετριέων, τέχνη δὲ Ἐρετριέως ἐστὶ Φιλησίου.* [3])

VI 6. 1: *Καλλίᾳ δὲ Ἀθηναίῳ παγκρατιαστῇ τὸν ἀνδρίαντα ἀνὴρ Ἀθηναῖος Μίκων ἐποίησεν ὁ ζωγράφος.* [4])

VI 13. 11: *Ἠλείοις δὲ ἀνδράσιν καὶ Τηλεμάχῳ, Τηλεμάχῳ μὲν ἐπὶ ἵππων νίκῃ γέγονεν ἡ εἰκών.* [5])

---

[1]) Ex epigrammate supersunt fere *Κρονίδα . . ευ Ὀλύνπιε καλὸν ἄγαλμα Ἱλήϝῳ [θυ]μῷ τῷ Λακεδαιμονιο.* A. Z. 1876. t. 6. dicemus de hoc titulo infra.

[2]) *Μεσσάνιοι καὶ Ναυπάκτιοι ἀνέθεν Διὶ Ὀλυμπίῳ δεκάταν ἀπὸ τῶμ πολεμίων. Παιώνιος ἐποίησε Μενδαῖος · καὶ τἀκρωτήρια ποιῶν ἐπὶ τὸν ναὸν ἐνίκα.* A. Z. 1875, p. 178.

[3]) *Φιλήσιος ἐποίει· Ἐρετριεῖς τῷ Δί.* A. Z. 1877, p. 226.

[4]) *Καλλίας Διδυμίου Ἀθηναῖος παγκράτιον. Μίκων ἐποίησεν Ἀθηναῖος.* A. Z. 1876, p. 227.

[5]) *Τηλέμαχος Τηλεμάχου Ὀλύμπια τεθρίππῳ Πύθια κέλητι. Φιλωνίδης ἐποίησε.* A. Z. 1877, p. 95.

VI 15. 7. *Δημήτριον δὲ τὸν ἐλάσαντα ἐπὶ Σέλευκον στρατιᾷ καὶ ἑλόντα ἐν τῇ μάχῃ καὶ τοῦ Δημητρίου τὸν παῖδα Ἀντίγονον, ἀναθήματα ἴστω τις Βυζαντίων ὄντα.* [6])

VI 17. 7: *καὶ τὸν Λεοντῖνον Γοργίαν ἰδεῖν ἐστιν· ἀναθεῖναι δὲ τὴν εἰκόνα ἐς Ὀλυμπίαν φησὶν Εὔμολπος ἀπόγονος τρίτος Δηϊκράτους συνοικήσαντος ἀδελφῇ τῇ Γοργίου* — [7])

Quae cum ita sint nemo invenietur quin concedat quae apud Pausaniam leguntur ex inscriptionibus manasse. Certa igitur atque bene stabilita videri potest sententia quae adhuc apud homines doctos et priores et eos qui novas illas inscriptiones ediderunt regnat, Pausaniam cum industria inscriptiones quaesivisse accurateque exscripsisse.

Praeter hunc fontem alterum ex quo nonnulla acceperit quae in donariorum et simulacrorum descriptione exhibet Pausanias ipse nobis indicavit: exegetarum dico testimonia. Fuisse enim Olympiae exegetas qui curiosos hospites per sacrum lucum circumducerent eisque maxime memorabilia ostenderent constat, neque est cur in eorum commemoratione haereamus. Tamen ut accuratius de iis iudicemus necesse est colligamus singulos locos ubi a Pausania nominantur. Sunt vero loci hi:

---

[6]) *Ὁ δᾶμ]ος ὁ Βυζαν[τίων βασιλ]ῆ Ἀντίγονον [Δαματρίου.* A. Z. 1877, p. 38.

[7]) *Χαρμαντίδου Γοργίας Λεοντῖνος.*

Τὴμ μὲν ἀδελφὴν Δηικράτης τὴν Γοργίου ἔσχεν,
ἐκ ταύτης δ' αὐτῷ γίγνεται Ἱπποκράτης,
Ἱπποκράτους δ' Εὔμολπος, ὃς εἰκόνα τήνδ' ἀνέθηκεν
δισσῶν παιδείας καὶ φιλίας ἕνεκα.

sequitur alterum epigramma quo Gorgiae et eloquentia celebratur et statuae ab ipso Delphis positae mentio fit.

V 6. 6: *Οἱ δὲ Ἠλείων ἐξηγηταὶ κομίσασθαί τε αὖθις Σκιλλοῦντα Ἠλείους ἔλεγον, καὶ Ξενοφῶντα, ὅτι ἔλαβε παρὰ Λακεδαιμονίων τὴν γῆν, κριθῆναι μὲν ἐν τῇ Ὀλυμπικῇ βουλῇ· τυχόντα δὲ παρὰ Ἠλείων συγγνώμης ἀδεῶς ἐν Σκιλλοῦντι οἰκῆσαι.*

V 10. 7: *τῷ δὲ ἀνδρὶ ὃς ἡνιοχεῖ τῷ Πέλοπι λόγῳ μὲν τῷ Τροιζηνίων ἐστὶν ὄνομα Σφαῖρος, ὁ δὲ ἐξηγητὴς ἔφασκεν ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ Κίλλαν εἶναι.*

V 18. 6: *Λέγεται δὲ καὶ ἐς ἀμφότερα ὑπὸ τῶν ἐξηγητῶν, καὶ τοῖς μέν ἐστιν εἰρημένον Αἰτωλοὺς τοὺς μετὰ Ὀξύλου καὶ Ἠλείους εἶναι τοὺς ἀρχαίους, ἀπαντᾶν δὲ σφᾶς γένους τε μνήμῃ τοῦ ἐξ ἀρχῆς καὶ εὔνοιαν ἐνδεικνυμένους ἐς ἀλλήλους, οἱ δὲ συνιέναι φασὶν ἐς ἀγῶνα τὰ στρατιωτικά, Πυλίους δὲ εἶναι καὶ Ἀρκάδας παρά τε Φειὰν πόλιν καὶ ποταμὸν μαχουμένους Ἰάρδανον.*

V 20. 4/5: *Λόγον δὲ ὃν Ἀρίσταρχος ἔλεγεν ὁ τῶν Ὀλυμπίασιν ἐξηγητὴς οὔ με εἰκὸς ἦν παριδεῖν — — — — — — ἔλεγε δὲ καὶ τόδε ἔτι ὁ Ἀρίσταρχος, ὡς — — —*

V 21. 8: *Τῶν δὲ κατειλεγμένων τὰ ἐφεξῆς ἀγάλματα δύο μέν ἐστιν ἀριθμόν, ἀνετέθη δὲ ἐπιτεθείσης παλαισταῖς ἀνδράσι ζημίας· οἵτινες δὲ ἐκαλοῦντο, ἐμέ γε ἢ τοὺς Ἠλείων λέληθεν ἐξηγητάς. ἐπιγράμματα μὲν [γὰρ] καὶ ἐπὶ τούτοις τοῖς ἀγάλμασιν ἔπεστι, — — τὰ δὲ ἐπίλοιπα ἐς τοὺς ἀθλητὰς τούτους οἱ ἐξηγηταὶ λέγουσιν οἱ Ἠλείων — — τούτῳ τῷ λόγῳ διάφορα ὄντα εὕρισκον τὰ Ἠλείων ἐς τοὺς ὀλυμπιονίκας γράμματα.*

Praeterea testium eorundem iudicia in locis nonnullis inesse videntur, ubi citantur ii qui aliquid Pausaniam docuerunt: *ὡς λέγουσιν, οὐ λέγουσιν*, ex gr., VI 4. 8: *τὸν δὲ ἕτερον ὅτῳ μηδέν ἐστιν ἐπίγραμμα μνημονεύουσιν ὡς Ἀριστοτέλης ἐστίν* — —

Statuerunt autem viri docti fuisse exegetas viros bene doctos ex quibus certa Pausaniae liceret comperire. Exstitit etiam qui latius progrederetur miramque rationem quam Pausanias in Olympiae descriptione secutus est ex singulorum exegetarum, quorum plures Olympiae classes fuisse conicit, narrationibus explicare conaretur: Ernestus Curtius in libro qui est de Peloponneso II 52. Statuit enim pro

multitudine rerum visu dignarum quibus Olympia referta erat necessario exegetas qui spectatores per sacrum lucum circumducerent in plures classes divisos fuisse. Fuisse igitur exegetas qui describerent donaria quae in templis erant, fuisse alios, et ipsos rursum per classes divisos, qui statuarum quae in luco erant genera singula ostenderent et explicarent, denique in thesauris adfuisse qui advenas circumducerent. Singulorum autem horum hominum narrationes cum Pausanias deinceps referre vellet factum esse ut in describendis iis quae viderat non locorum ubi posita erant ordinem sequeretur sed omnia in tot divideret genera quot testium quos sequitur Olympiae essent classes. Vides ex Curtii sententia permultum exegetarum testimoniis tribuendum esse. Neque desunt qui praeter hunc virum doctum exegetarum auctoritatem magni aestiment, veluti Schubartus exegetae doctissimo deberi censuit quae de Byze artifice dicuntur V 10. 3: *τὸ δὲ εὕρημα ἀνδρὸς Ναξίου λέγουσιν εἶναι Βύζου οὗ φασιν ἐν Νάξῳ τὰ ἀγάλματα ἐφ' ὧν ἐπίγραμμα εἶναι*

Νάξιος Εὔεργός με γένει Λητοῦς πόρε Βύζεω
παῖς, ὃς πρώτιστος τεῦξε λίθου κέραμον.

Quae cum ita sint tandem aliquando accuratius perpendantur loci oportet ubi exegetarum diserta mentio fit, ut de illorum testium ingeniis atque indole recte iudicetur. Hoc autem statim apparet, etiamsi quis primum hos locos inspexerit, non eiusdem farinae esse quae ex eorum ore referuntur. Etenim cum loci duo (V 10, 7; 18, 6) ad describenda

monumenta spectent, tertius narratiunculam quandam quae tunc Olympiae ferebatur exhibet (V 20, 4/5), in quarto de Xenophontis vita perhibentur manifesto falsa (V 6, 6), in quinto Olympionicarum nomina afferuntur (V 21, 8). Quae omnia cum adhuc viri docti ex uno fonte manasse iudicaverint nobis pro ipsa argumenti diversitate disparem orginem redolere videntur. Ad ipsam veritatem conitentibus via munita est acutissimo Ottonis Iahnii iudicio, qui de capitis 18 loco tam certa atque indubitata protulit (Herm. III. 192) ut non possimus non egregii viri disputationem repetere, praesertim cum debita auctoritate adhuc privatam eam videamus. Locus de quo agitur sumptus est ex accuratissima cistae descriptione, quam Pausanias in ipso descriptionis principio a Cypselidis Iovi dicatam esse tradit (V 17. 5). In tertia huius arcae area conspiciebantur et pedites et bigae nonnullae. Quid tamen haec omnia sibi vellent ne inter exegetas quidem Olympicos constitisse Pausanias refert. Fuisse enim narrat qui sic interpretarentur: homines illos Aetolos Oxylo duce cum priscis Eleis foedus ineuntes esse; fuisse vero etiam qui dicerent exhiberi proelium inter Pylios et Arcades commissum. Quibus exegetarum in diversas partes discedentium opinionibus Pausanias ipse haud absurde opponit improbabile esse in cista a Cypselidis dedicata effícta fuisse quae ad alius populi res celebrandas spectarent, contra rerum a Corinthiis gestarum nullam mentionen fieri. Itaque e rebus Corin-

thiacis bellicum illum apparatum explicare conatur. Qua ex ratiocinatione hoc imprimis Iahnius concludit Pausaniam ab eorum partibus stare qui censebant cistam illam a Cypselo dedicatam esse. Porro testimonio usus Dionis Chrysostomi (XI. 45) qui de *ξυλίνῃ κιβωτῷ τῇ ἀνατεθείσῃ ὑπὸ Κυψέλου* loquitur, hanc sententiam primo p. Chr. saeculo viguisse demonstravit. Haec si ita se habent statim elucet fieri nullo pacto potuisse ut exegetae qui Olympiae erant de Cypselo eiusque parentibus in area illa interpretanda tacerent. Exegetae igitur quos Pausanias commemorat non ii sunt, qui Olympiae secundo post Christum natum saeculo ducum munere fungebantur, sed antiquior liber, scriptus quo tempore celeberrimum Cypseli nomen nondum coniunctum erat cum cista. Egregia hac Iahnii disputatione id adepti sumus exegetarum quos in cista describenda commemorat doctrinam non ex ipsorum ore sed ex libro scripto eum percepisse. Quod cum ita se habeat non est cur dubitemus eos locos qui similem eruditionem continent et quos ab exegetis se accepisse Pausanias ipse confitetur eidem scripto fonti adscribere. Est locus V 10. 7, atque ceteri quos nomine exegetarum non addito propter res ipsas quas continent eisdem ex copiis fluxisse probabile est.

Ex tribus qui restant locis unum qui est V 21. 8 ad calcem totius dissertationis tractabimus. Qui tamen supersunt loci duo V 6. 6 de Xenophontis praedio et V 20. 4 de militis cuiusdam cadavere,

quos exegetis se debere Pausanias ipse affirmat a doctis de donariis exegetarum testimoniis (V 10. 7; V 18. 6) plane abhorrent. Quorum de fonte aut sic iudicandum esse censemus revera illas narratiunculas Pausaniam cum Olympiae versaretur ab exegetis accepisse, aut cum aliunde comperisset quae iis insunt, id quod vel maxime probabile est de loco qui est de Xenophonte, mori obsecutum qui illo tempore fere omnibus qui litteras colebant in deliciis erat, eum certis quibusdam quos sibi finxit testibus eas attribuisse. Constat autem Pausaniam ipsum saepenumero hunc morem secutum esse, ut fidem scilicet adstruat ineptissimis narratiunculis, quas legentibus proponere solet, dum παράδοξα et θαυμάσια ἀκούσματα aucupatur (cf. I 23. 5; V 5. 9; VI 20. 18; VII 23. 7; X 4. 6; IX 8. 2). Eadem stirpe prognatum si Aristarchum exegetam credimus a quo fabellam de militis cadavere accepisse se asseverat, falli nos vix putamus. Utut tamen haec se habent, id effecisse nobis videmur exegetarum quos Pausanias commemorat testimonia in duas classes esse digerenda, quarum altera, quae ex scripto fonte fluxit, ea complectitur quae periegetae solidam scientiam redolent, altera ea in quibus periegeseos ipsius nullum vestigium detegitur.

Postquam scriptum fontem adepti sumus unde loci qui sunt in descriptione donariorum signorumve manaverint, ex re esse videtur ad inscriptiones quas Pausanias affert tractandas reverti. Vidimus autem

plerisque in locis Pausaniam in statuarum recensione verba proferre quae sunt in inscriptionibus. Sane hoc concessimus fontem primarium ex quo fluxerint quae de statuis exhibet inscriptiones esse, sed nondum exploratum est unde has ipsas Pausanias cognoverit. In hanc vero quaestionem dissolvendam, unde Pausanias inscriptiones cognoverit, acrius quam adhuc factum est incumbendum est. Quamquam enim plerique et propter verba apud scriptorem ipsum saepenumero occurrentia *τὸ δὲ ἐπίγραμμα δηλοῖ* similiaque et propter consensum qui inter verba scriptoris et inscriptiones nuper inventas agnoscitur pro certo habent Pausaniam ipsum exscripsisse quae nunc apud eum leguntur inscriptiones, tamen non ab omni parte hanc sententiam munitam esse censemus. Statuimus autem sicut exegetarum testimoniorum partem quandam ita etiam inscriptiones quas profert ad scriptum quendam fontem referendas esse, neque Pausaniam ipsum Olympiae studium in exscribendis inscriptionibus collocasse. Ut hanc sententiam probemus primum tractemus inscriptiones quas et Pausanias tradit et nobis quoque cum saeculorum vicissitudines feliciter superaverint inspicere licet ipsas. Quamquam enim perpaucae sunt tamen ad quaestionem propositam dissolvendam, si quid videmus, aliquantum nos adiuvant. Primum autem monemus Pausaniam in ceteris periegeseos libris parcum et infrequentem, ut ita dicamus, inscriptionum cultorem se praestare, cum libri quintus et sextus iis scateant, deinde ne

in his quidem libris eum iudicio uti in afferendis inscriptionibus eo quo praediti esse debebant periegetae veri in colligendis certissimis his testimoniis, cum ex poetico nitore de epigrammatis iudicaverit V 21. 6: *γέγραπται δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἐλεγεῖα οὐδέν τι δεξιώτερα ἐς ποίησιν ἢ τὰ ἔχοντα τὴν ζημίαν τὴν Εὐπώλου* (V 21. 4). Porro diligentia Pausaniae in conquirendis inscriptionibus quae propter nuper inventas summa habetur, ne falso tanti aestimetur veremur. Nam inscriptionem, quam profert V 24. 3.

Δέξο ἄναξ Κρονίδα Ζεῦ 'Ολύμπιε καλὸν ἄγαλμα
ἱλάῳ θυμῷ τοῖς Λακεδαιμονίοις

si contuleris cum litteris quas nuper invenerunt, tribus locis ab his dissentire cognosces: in nomine dei quod propter lacunae spatium *Ζεῦ* non potest fuisse, in verbo *ἱλάῳ*, in plurali numero *τοῖς Λακεδαιμονίοις*. Atque in inscriptione qua Telemachi victoria celebratur si ad Pausaniae verba VI 13. 11. *Τηλεμάχῳ μὲν ἐπὶ ἵππων νίκῃ γέγονεν ἡ εἰκών* eam afferre omnino licet, paene nullus cum periegeta consensus apparet. Hisce vero ex inscriptionibus hoc tantum elucere videtur Pausaniam non summa cum diligentia enarrasse quae in inscriptionibus legerat, cum ad detegendum scriptum quendam fontem unde eas delibaverit nos non adiuvent. Ceterae igitur circumspiciendae sunt inscriptiones, quibus quod posuimus evincamus. Invenit autem quo hanc sententiam probemus U. de Wilamowitz (Herm. XII p. 345). Exstat enim civitatum earum quae pugnae Pla-

taeensi interfuerunt praeter catalogum apud Pausaniam V 23. 1 sqq. e Iovis statua quadam relatum accuratissimus recensus in alia quae nobis ipsa servata est inscriptione, columnam nobilem dico in qua aureus tripus, quem post pugnam Plataeensem Apollini Graeci dedicaverant, positus erat. Exspectamus autem eundem nos inventuros esse catalogum apud Pausaniam qui est in Delphico donario. At videmus et deesse aliquot nomina et ordinem qui in serpentibus Delphicis bene dispositus est praepostere immutatum esse. Liquido id tibi constabit si conspectum quem Kirchhoffius dedit (Herm. XI. 2.) contuleris. Sed ut haec mittamus, cum liceat aut librarios culpare aut neglegentiae illius specimen hoc appellare, de qua modo diximus (ac videtur in alteram utram harum sententiarum inclinare Kirchhoffius*), unum est discrimen quo res conficitur. Ex Boeotiae urbibus constat et Thespienses et Plataeenses bellis Persicis haud ultimos interfuisse, ita ut nullo pacto inter civitates socias omitti potuerint. Comparent igitur legitimo loco in Delphica inscriptione: apud Pausaniam Thespienses non desunt tantum, sed disertis verbis dicuntur nominati esse *Πλαταιεῖς μόνοι Βοιωτῶν*. Vides igitur hoc in loco undecumque difficultatibus te circumfusum esse. Quae ut solvantur statuamus oportet Pausaniam non ipsum Olympiae inscriptiones exscripsisse, sed ex alius, qui quidem vitium ex quo Pausaniae exoreretur error in inscriptione exscribenda commisisset, uberrima collecti-

one hausisse quae nunc in libro V et VI leguntur. Sicut igitur exegetarum quae profert testimonia ex scripto fonte manaverunt, ita ad scriptum quendam fontem inscriptiones quoque quas affert redeunt.

Idem fere ex acutissimo Hauptii de loco Pausaniae V 18 4 iudicio concludere licet (Opusc. III. 466). Traditur ibi epigramma quod in cista a Cypselidis dedicata incisum erat tale

Λατοΐδας οὗτος τάχ' ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων,
Μοῦσαι δ' ἀμφ' αὐτὸν χαρίεις χορὸς αἷσι κατάρχει.

Perpendas quaeso paulo accuratius quale hoc sit apigramma! Summa haec est: hic f o r t a s s e est rex iaculator Apollo.“ Iam cognoscis, opinor, stultissimum esse atque a dicendi genere quo in inscriptionibus utuntur plane abhorrere, et concedis in voce „*τάχα* fortasse“ corruptelam latere. Neque defuerunt qui ante Hauptium hac in voce haererent atque locum coniecturis sanare studerent, quorum iudicia collecta sunt in editionis Siebelisianae tom. II. Adnotat. p. 251: Huius epigrammatis lectionem *Λατοΐδας οὗτος τάχ' ἄναξ* confirmat uterque codex Florentinus cum reliquis qui consulti sunt codicibus. sed vox *τάχ'* et Heynio et Facio corrupta vel certe expletiva visa est; ego in Comment. Societ. Phil. Lips. IV. 1 suaseram ut pro ea poneretur *ὅγ'* sic in Homeri Iliad. XIX. 344 *κεῖνος ὅγε·* Lobeckius tamen mihi scripsit videri *τάχα* defendi posse, si ei potestas particulae *που* tribuatur; atque hanc vim habuisse Phavorinus iam docuit, qui interpretatus *ἴσως* addit nonnumquam copulata esse

τάχ' ἴσως vel τάχα που, ἐκ παραλλήλου· cf. Viger. p. 447 et Paus. cap. 19,2 p. 427. IV 8. 2. Sic sensus esset Hic nimirum (procul dubio) est Latonae filius rex iaculator Apollo; Das ist gewiss, das ist ja der Leto Sohn, et laeto animo videretur epigrammatis auctor agnoscere Apollinem Musarum choro circumdatum. "De sensu loci Siebelisius recte quin iudicaverit non dubitamus; emendationes explicationesque quas proposuit Hauptio auctore aeque perversas esse confidenter pronuntiamus. Verissime enim vir summus statuit non credibile esse vocalem litteram ante ἄναξ in tam vetusto epigrammate Corinthiaco elidi. Quare persuasum nobis est et propter sensum et propter metrum ταχα vocem stare non posse. Priusquam vero in loco tractando pergimus inter nos constet oportet unde foedum illud vitium in textum irrepsisse putemus, cum hac potissimum de causa emendationem nondum inventam esse iudicemus quod de origine corruptelae viri docti non satis cogitaverint. Haec duo autem cogitari possunt: aut apud Pausaniam primitus verum exstitisse nunc a librariis corruptum, aut Pausaniam ipsum in transcribenda inscriptione errasse. Plerique ad prius tantum — id quod nobis falsum videtur esse — animum attenderunt atque coniciendo indagare studuerunt quae genuina apud Pausaniam scriptura fuerit. Quae conamina quoniam irrita ciderunt ad alterum quod posuimus defendendum incumbamus, praesertim cum facile nobis

videatur explicatu ex quibusnam litteris vetustionibus tres illae ταχ enatae sint.

Primum autem hoc tenemus sensum epigrammatis integrum ac planum esse cum bene dicatur: hic est rex Apollo Latonae filius, illae sunt Musae. Quare vocabulum quod novi aliquid ad sensum attulerit in litteris ταχ latere non credimus, potius suspicamur particulam quandam ex iis eruendam esse quae cum pronomine coniungi soleat; cf. eiusdem cistae versum Ἰφιδάμάς οὗτός γε (19, 4) et quae Kaibelius ad arae Crisaeae dedicationem adnotavit (Epigrammata ex lapidibus collecta n. 742.) Verissimam igitur iudicamus Hauptii emendationem *Λατοίδας οὗτός γα ϝάναξ.* Nam χ litteram cruce erecta significatam facile cum digammo, τ cum γ, quod sola hasta apud Corinthios fingebatur (Kirchhoff. Studien zur Geschichte d. Alph.[3] p. 89), confundi potuisse in propatulo est.

Haec si recte disputavimus elucet errorem in versu illo non deberi librariorum socordiae sed ipsius Pausaniae levitati in inscriptione exscribenda. Postquam hoc effecimus recordemur nos in initio huius disputationis pollicitos esse Pausaniam inscriptiones non ex lapidibus sed ex scripto quodam fonte in suum opus recepisse demonstraturos esse. Quem finem ut attingamus Iahnii egregiae disputationis, qua exegetas quos Pausanias in describenda cista commemorat non homines sed scriptum quendam fontem fuisse probavit, resuscitemus memoriam. Eo in libro

idem versus non poterat non deesse. Quodsi inerat, aut recte scriptus erat aut eundem qui apud Pausaniam est errorem continebat. Primum si accidisset, non haberemus quam nunc apud Pausaniam legimus scripturam, animadvertisset enim errorem a se commissum et correxisset. Si idem error etiam apud auctorem Pausaniae fuit, tum absurdum esset dicere duos homines eodem prorsus modo errasse, sed pro certa atque explorata re habendum est hanc inscriptionem Pausaniam ex scripto quodam fonte hausisse.

Duos adhuc fontes viris doctissimis ducibus investigavimus ex quibus Pausanias Olympiae periegeseos partes quasdam sumpsit. Si vero reputamus utrumque fontem nos invenisse in cistae descriptione, ceterum simillimam copiam utrique videri infuisse, nos fugere non potest revera non ex duobus fontibus, sed ex uno eodemque qui accuratam Olympiae descriptionem continebat ea fluxisse quae Pausanias de donariis signisque pro suis venditat. Restat igitur ut quaeramus cuiusnam scriptoris copias Pausanias compilasse putandus sit. Quodsi hac in quaestione tractanda potius coniectura utimur quam certo argumento, hoc ii qui harum rerum periti sunt pro rei difficultate, ut speramus, vitio nobis non vertent. Perpauci enim sunt, ut supra diximus, qui certis argumentis demonstrent scriptorem saeculi posterioris antecedentium quendam exscripsisse, cum multi inveniantur qui quod coniecerunt leviter atque firmis causis carentes evolgent. Quorum ex numero cum

secludi nos optamus tum facile profitemur nos probabilitatem quandam etiamsi in libro investigando ex quo Pausaniae Olympiae descriptio manaverit adepti esse nobis videamur, tamen ne modum excessisse censeamur, non arbitrari quod posuimus nos iam demonstrasse. Videas, quaeso, et benigno animo examines quae de fonte Pausaniae exploraverimus. Primum si de genere libri quaerimus quo Pausanias usus sit, periegetae cuiusdam accuratam Olympiae descriptionem eum exscripsisse ut statuamus cum rerum quas profert natura tum eo quod in ceteris libris constat Pausaniam usum esse periegeta vel maxime permovemur. Etenim cum U. de Wilamowitz (Hermes XII, p. 345) demonstraverit Pausaniam in primo libro hominis doctissimi et diligentissimi Polemonis Iliensis de arce Athenarum haud scite excerpsisse libros, similibus subsidiis etiam alibi eum usum esse loco qui est in octavo libro docere possumus.

Pervenerat Pausanias (VIII. 42.) Phigaliam unde ad antrum Cereris in Elaio monte profectus est. Describit deae quod antea ibi positum erat simulacrum, quae quidem descriptio cum paullo sit uberior a solito more monumentorum describendorum aliquantisper discedit. Antiquissimo hoc simulacro deleto ad novum conficiendum a Phigalensibus oraculi iussu Onatam filium Miconis accitum esse. Ad aetatem definiendam qua hic artifex novum signum ad prisci illius lignei similitudinem confecerit inscriptio-

nibus quas in Dinomenis Hieronis filii quae Olympio Iovi dedicata erant donariis idem insculpserat utitur. Postremo simulacrum quod Onatas fecerat suis temporibus non iam exstitisse neque quicquam Phigalensibus de isto signo notum fuisse asseverat. Ex quo solo homine nonnulla compererit verbis indicat hisce: *τῶν δὲ ἐντυχόντων ἡμῖν ἔλεγεν ὁ πρεσβύτατος γενεαῖς πρότερον τρισὶν ἢ κατ' αὐτὸν ἐμπεσεῖν ἐς τὸ ἄγαλμα ἐκ τοῦ ὀρόφου πέτρας, ὑπὸ τούτων δὲ καταγῆναι καὶ ἐς ἅπαν ἔφασκεν αὐτὸ ἀφανισθῆναι· καὶ ἔν γε τῷ ὀρόφῳ δῆλα καὶ ἡμῖν ἔτι ἦν καθὰ ἀπεῤῥώγεσαν αἱ πέτραι.* De fide senis Phigalensis iudicare non possumus, de Pausaniae vero licet iudicium ferre. Pro tanta enim Phigalensium recentioris signi ignoratione nequaquam probabile est ab eisdem Pausaniam de antiquiore simulaecro quicquam accepisse. Neque desunt quae ad fontem unde haec Pausanias hauserit investigandum inserviant. Nam cum copiosiore simulacri descriptione permoveamur ut credamus periegetae cuiusdam scriptis Pausaniam usum esse, vel maxime iis quae sequuntur haec opinio stabilitur. Inscriptiones enim quas exhibet, quae tamen in Olympiae descriptione Pausaniae ipsius non leguntur, nisi ex libro in quo collectae essent aliunde depromere non potuit. Quod cum ita sit, dubium esse vix potest quin totus locus haustus sit ex periegetae cuiusdam libro.

De fonte unde Pausanias hauserit quae de Cerere exhibet Prellerus atque Petersenius diversum in modum iudicaveruut. Prellerus (Demeter und Per-

sephone p. 159) demonstrare studuit Onatam simulacrum illud non potuisse conficere, cum multo recentior esset mos ille ritusque religionis. Pergit: „so hat man nach dem Obigen die gegründetste Ursache, das Ganze für eine Periegetenfabel zu erklären, wie so manche aus den früheren Reisebeschreibungen in den Pausanias übergegangen sein mag. Wer bürgt für die Quelle, aus welcher dieser die Notiz von jenem Bilde des Onatas nahm? (cf. l. l. p. 149. p. 160 Anm.)“ Alia est sententia Petersenii (Kritische Bemerkungen zur ältesten Geschichte der griechischen Kunst, Progr. v. Ploen p. 35). Rectissime monet eo quod Pausanias affirmet Phigalenses omnino ignorasse Onatae simulacrum elucere etiam de oraculo, de artificis aetate et operibus eosdem nullam habuisse scientiam, potius ex docti hominis cuiusdam libro haec fluxisse (Angaben, die übrigens an sich schon ihre Herkunft aus gelehrter schriftlicher Ueberlieferung verrathen.) Sagaciter cognovit duas narrationes apud Pausaniam exstare, alteram Phigalensium, alteram docti hominis cuiusdam. Hoc tamen minus recte statuisse videtur. Ex eo enim quod Phigalenses antiquum tantum signum bene noverant, Onatae tamen plane ignorabant non sequitur prius signum non exstitisse, sed omnino pro testibus Phigalenses non esse habendos. Mos enim est Pausaniae quo Herodotum imitari studet ubivis incolas nominare atque in universum adscribere *ὡς λέγουσιν, οὐ μνημονεύουσιν* similia. Sed utramque narrationem

est eodem periegeta discriptam suae tantum scribendi artis fuco atque lenociniis distinxit.

Iuvat addere si non certum at valde tamen probabile argumentum quo adducimur ut nobilissimam atque doctissimam throni Amyclaei descriptionem (III 18. 10—19. 5) ex antiquiore periegetae libro repetamus, praesertim cum ad idem nomen deveniamus quod et Athenis comparuit et Olympiae comparebit. Atque coniecere quidem et Prellerus (Polem. fgm. p. 50) et Urlichsius (Anfänge der gr. Kunstgesch. p. 46) docto alius scriptoris libro Pausaniam in hac parte usum esse, neque tamen prolatum vidimus certum eius sententiae documentum, quod hac ratiocinatione adsequimur.

Exstat enim in media descriptione III 19. 4. *κομίζουσι δ' ἐς οὐρανὸν Ὑάκινθον καὶ Πολύβοιαν Ὑακίνθου, καθὰ λέγουσιν, ἀδελφὴν ἀποθανοῦσαν ἔτι παρθένον. τοῦτο μὲν οὖν τοῦ Ὑακίνθου τὸ ἄγαλμα ἔχον ἐστὶν ἤδη γένεια. Νικίας δὲ ὁ Νικομήδους περισσῶς δή τι ἔγραψεν αὐτὸν ὡραῖον, τὸν ἐπὶ Ὑακίνθῳ λεγόμενον Ἀπόλλωνος ἔρωτα ὑποσημαίνων.* Scitum hoc est additamentum quo doctum Pausanias probavit se periegetam. Quaerenti vero unde cognoverit imaginem hanc Niciae cuius memoriam in throni descriptione suscitaverit, difficultates obstruunt ingressum. Constat enim Plinii testimonio imaginem de qua dicitur Romae fuisse: XXXV 131: — „Niciae opera Hyacinthus quem Caesar Augustus delectatus eo secum deportavit Alexandrea capta et ob id Tiberius Caesar in templo eius dicavit hanc

tabulam.“ Coniecerit igitur fortasse quispiam Pausaniam Romae vidisse hanc tabulam atque pro studio quod in cognoscendis et artis statuariae et picturae monumentis posuerat docte comparasse cum Amyclaeo Hyacinthi simulacro. Neque negamus Pausaniam Romam adiisse atque quae ibi erant monumenta vidisse, etiamsi non ignoremus esse qui Romae Pausaniam fuisse dubitent, cum locis V 12. 9; VII 17. 4; 46. 6; IX 21. 1; X 5. 11 satis munita haec sententia esse simillimaque paragrapho huius loci defendi posse videatur VI 9. 3. *αἱ δὲ εἰκόνες τοῦ Χείμωνος ἔργον ἐστίν, ἐμοὶ δοκεῖν, τῶν δοκιμωτάτων Ναυκύδους, ἥ τε ἐν Ὀλυμπίᾳ καὶ ἡ ἐς τὸ ἱερὸν τῆς Εἰρήνης τὸ ἐν Ῥώμῃ κομισθεῖσα ἐξ Ἄργους.* — Tamen eum ad huius imaginis mentionem non eo adductum esse quod tanta tabularum cognitione excellebat sed quod alius librum exscribebat contendere ausim. Nullo enim loco perspicitur eum in describendis monumentis accurate minutias observasse, sed ubicumque iudicium fert intra usitatissimas laudandi formulas (*θέας ἄξιον* — similes) se continet. Deinde vero optimorum artificum cum statuariorum tum pictorum opera, quae temporibus ubi artes summopere colebantur confecta essent, leviter tantum Pausaniam nosse atque accuratiore eorum cognoscendorum studio consulto abstinuisse qui per aliquod tempus Graeciae quam composuit descriptionem tractaverunt inviti experti sunt. Quibus omnibus adducimur ut Polemonem periegetarum omnium principem auctorem esse quem in throno describendo Pausanias secutus

sit statuamus. Notum enim est accuratissime eum imaginum argumenta enarrasse, porro opus eum conscripsisse *περὶ τῶν ἐν Σικυῶνι πινάκων*, quorum plerique Alexandream Arati tempore deportati sunt, unde Hyacinthum quoque Romam pervenisse Plinius auctor est. Quare etiamsi dubium sit utrum Sicyone an Alexandreae tabulam illam viderit, Polemonem in throni descriptione perbene eam commemorare potuisse vel maxime probabile est.

Vidimus et per ceteros Pausaniae libros et in Olympiae descriptione subinde vestigia apparere indubitata, quibus periegetae libros ab eo exscribi colligatur. Nunc ad id accingimur ut ipsum eius nomen investigemus, e cuius copiis doctrina librorum V et VI provenit. Qua in re tractanda haec potissimum tenemus, primum Pausaniae fontem refertissimum fuisse inscriptionibus, deinde, id quod ex Iahnii disputatione apparuit, periegetam quem Pausanias sequitur ante saeculum p. Chr. primum vixisse. Tertium idque gravissimum accedit argumentum rerum Atticarum cognitio quae accuratior est per libros V VI quam in ipsa Pausaniae *Ἀτθίδι συγγραφῇ*. Etenim cum sit quod mireris Pausaniam in Eliacis multum esse in respiciendis rebus Atticis, quas primo libro nimis festinanter parumque accurate tractavit, omnis haec difficultas evanescit si periegetae anathematis quae Athenis erant describendis deditissimo haec deberi statuimus. Videas quaeso exempla! Describuntur inde ab VI 20. 10 carceres ex quibus currus in

stadium mittebantur. En habes descriptionem copiosam atque luculentam! In his exstat (§ 14) *τὸ μὲν δὴ ἐξ ἀρχῆς Κλεοίτας ἐστὶν ἄφεσιν μηχανησάμενος καὶ φρονῆσαί γε ἐπὶ τῷ εὑρήματι ὡς καὶ ἐπίγραμμα ἐπὶ ἀνδριάντι τῷ Ἀθήνησιν ἐπιγράψαι·*

Ὃς τὴν ἱππάφεσιν ἐν Ὀλυμπίᾳ εὕρατο πρῶτος
Τεῦξέ με Κλειοίτας υἱὸς Ἀριστοκλέους.

Affertur inscriptio quae Athenis statuae insculpta erat. In descriptione arcis Athenarum apud Pausaniam inveniuntur haec: I 24. 3 *ὅστις δὲ τὰ σὺν τέχνῃ πεποιημένα ἐπίπροσθε τίθεται τῶν ἐς ἀρχαιότητα ἡκόντων καὶ τάδε ἐστί οἱ θεάσασθαι. κράνος ἐστὶν ἐπικείμενος ἀνήρ, Κλεοίτου, καί οἱ τοὺς ὄνυχας ἀργυροῦς ἐνεποίησεν ὁ Κλεοίτας.* Quae cum ita sint a vero nos aberrare non censemus si hos locos ita coniungimus ut inscriptionem quae est VI 24. 14 subscriptam fuisse huic a Cleoeta in arce positae statuae nobis fingamus. Tum vero quaeritur unde Pausanias inscriptionem cognoverit. Olympiae enim cum versaretur statuam Athenis positam cognoscere non potuit; neque licet conicere eum arcem perscrutantem inscriptionem de qua agitur legisse quidem, tamen, ne longus esset in primo libro non adscripsisse, in sexto vero libro ex scrinio protulisse. Omnia autem plana atque concinna fiunt si statuimus Pausaniam ex fonte hausisse, cuius auctor cum Olympiae accuratissimam descriptionem ediderat tum uberrima rerum Atticarum scientia excellebat, quippe qui bene nosset Cleoetae statuae quod Pausanias neglexerat epigramma.

Porro pulcherrima copiosissimaque — pro tanta artis historiae ruina — descriptio est Iovis Olympii statuae, propter quam laudem summam apud omnes antiquitatis cognoscendae studiosos Pausanias meruit. Atque qui eam scripsit certe dignus est qui laudetur; tamen veremur ne Pausanias laude hac privandus sit. Ad hanc sententiam eo deducimur quod ab ipso Pausania hac in descriptionis parte scriptores qui Iovis simulacrum antea descripserant commemorantur: V 11. 9 *μέτρα δὲ τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ Διὸς ἐς ὕψος τε καὶ εὖρος ἐπιστάμενος γεγραμμένα οὐκ ἐν ἐπαίνῳ θήσομαι τοὺς μετρήσαντας, ἐπεὶ καὶ τὰ εἰρημένα αὐτοῖς μέτρα πολύ τι ἀποδέοντά ἐστιν ἢ τοῖς ἰδοῦσι παρέστηκεν ἐς τὸ ἄγαλμα δόξα* Deinde postquam statuae Iovis descriptionem perfecit imaginesque quas Panaenus pinxerat enarravit, adicit V 11. 6 *Πάναινος μὲν δὴ οὗτος ἀδελφός τε ἦν Φειδίου, καὶ αὐτοῦ καὶ Ἀθήνησιν ἐν Ποικίλῃ τὸ Μαραθῶνι ἔργον ἐστὶ γεγραμμένον*, atque paulo post a quaestione quam de elephantorum dentibus instituit ad templi descriptionem reversus ita pergit V 12 .4 *ἐν δὲ Ὀλυμπίᾳ παραπέτασμα ἐρεοῦν κεκοσμημένον ὑφάσμασιν Ἀσσυρίοις καὶ βαφῇ πορφύρας τῆς Φοινίκων ἀνέθηκεν Ἀντίοχος οὗ δὴ καὶ ὑπὲρ τοῦ θεάτρου τοῦ Ἀθήνησιν ἡ αἰγὶς ἡ χρυσῆ καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡ Γοργὼ κεῖται**) *ἀναθήματα.* Sane mentionem Pausanias *ἐν τῇ Ἀτθίδι συγγραφῇ* harum rerum facit, cum breviter I 15 in descriptione stoae Poeciles enumeraverit imagines quae ibi conservabantur (*τελευταῖον δὲ τῆς γραφῆς εἰσὶν οἱ μαχεσάμενοι Μαραθῶνι κτλ*) et scripserit I 21, 3 *ἐπὶ*

*) sic Wilamowitz. *ἡ ἐς τὰ* libri.

δὲ τοῦ νοτίου καλουμένου τείχους ὃ τῆς ἀκροπόλεως ἐς τὸ θέατρόν ἐστι τετραμμένον ἐπὶ τούτου Μεδούσης τῆς Γοργόνος ἐπίχρυσος ἀνάκειται κεφαλὴ καὶ περὶ αὐτὴν αἰγὶς πεποίηται. Frustra tamen quaeruntur nomina et Panaeni et Antiochi, neque e vulgari tritaque scientia Olympiae nomina illa sumi poterant. Itaque ad eundem librum alius periegetae haec omnia referenda sunt.

Nunc si quaerimus cuinam scriptori ante Christum natum florenti cum laboriosum quod in inscriptionibus exscribendis studium positum est tum accuratissimam et Athenarum et Olympiae periegesin attribuamus, periegetarum omnium principi Polemoni Iliensi, cui nomen erat *Στηλοκόπας* propter diligentiam quam in inscriptionibus de „columnis, pilis, statuis et omne genus donariis describendis“ (v. Casaubonum apud Preller. Polem. frgm. p. 13) probaverat et quem cum totam Graeciam tum Athenas et Olympiam ea quoque quae nobis servata sunt quamvis lacera fragmenta accuratissime descripsisse docent, quominus haec omnia adscribamus vix invenietur quod nos prohibeat. Conicimus igitur Pausaniam in Olympiae descriptione Polemonis periegesi usum esse. Tantum vero abest ut putemus nos quaestionem de qua egimus absolvisse ut lineamenta tantum posuisse nobis videamur, quae accuratius qui in hanc rem inquiret sequi debeat. Speramus autem fore, ut quae posuimus non leviter protulisse censeamur neque de via quam ad quaestionem de fontibus Pausaniae in Eliacis dissolvendam hac in dissertatione

munivimus, si quis in posterum eandem hanc quaestionem tractaverit, depellamur.

Hoc unum restat, ut de loco V 21. 8 quid statuendum sit significemus. Quo in loco contra exegetarum sententiam nonnulla de athletis quibusdam proferentium (*τὰ δὲ ἐπίλοιπα ἐς τοὺς ἀθλητὰς τούτους οἱ ἐξηγηταὶ λέγουσιν οἱ Ἠλείων, ὀγδόην μὲν ἐπὶ ταῖς ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάδα εἶναι, λαβεῖν δὲ Εὔδηλον παρὰ Φιλοστράτου χρήματα, τοῦτον δὲ εἶναι τὸν Φιλόστρατον Ῥόδιον*) nisus in victorum catalogo (*τούτῳ τῷ λόγῳ διάφορα ὄντα εὕρισκον τὰ Ἠλείων ἐς τοὺς ὀλυμπιονίκας γράμματα*) pugnat. Quaeritur autem quosnam exegetas Pausanias hic citaverit. Quibus de testibus quamquam certa eruere nobis non contigit, tamen ita possumus iudicare, ut quae supra demonstravimus non infringantur. Etiamsi enim difficultatem, quae inest verbis quae eis quae modo adscripsimus praemissa sunt et quae a sequentibus plane abhorrent, *οἵτινες δὲ ἐκαλοῦντο* (sc. *οἱ ἀθληταὶ*) *ἐμέ γε ἢ τοὺς Ἠλείων λέληθεν ἐξηγητάς*, cum Schubartum cultello hoc enuntiatum exsecantem laudare non possimus, nondum dissolverimus, licet tamen probare et verbis *οἱ δὲ Ἠλείων ἐξηγηταὶ* et Olympiade, ad quam hi testes citantur, Polemoni ad quem alia exegetarum apud Pausaniam testimonia supra revocavimus hunc locum adscribendum non esse. Constat enim Polemonem

Aristophanis Byzantii aequalem floruisse sub Ptolemaeo Philopatore et Epiphane (ol. CXL—CL), neque nominantur in locis, quos Pausaniam ex Polemone sumpsisse supra demonstrare studuimus *οἱ Ἠλείων ἐξηγηταί* sed V 10. 7. *ὁ ἐξηγητὴς ἐν Ὀλυμπίᾳ* et V 18. 6 *οἱ ἐξηγηταί.* Porro cum etiam in ceteris locis V 6. 6 et V 20. 4 secernantur *οἱ Ἠλείων ἐξηγηταί* et *ὁ τῶν Ὀλυμπίασιν ἐξηγητής* nostro iure statuere nobis videmur, loco, de quo agitur, contra sententiam a nobis defensam Pausaniam exegetarum quaedam testimonia Polemoni debere, nemini licere uti.

VITA.

Natus sum *Paulus Hirt* Zittaviae Idibus Mais anni h. s. LIV. patre *Gustavo Friderico* matre *Luisa* ex gente *Domsch.* Fidei sum addictus evangelicae. Decem annos natus in Ioanneum Zittaviense sum receptus cuius scholas per IX annos frequentavi Kaemmelio rectore. Anno LXXIII maturitatis testimonium adeptus Lipsiam, ubi stipendia quoque feci, ut studiis philologicis operam darem me contuli.

Atque scholas adii virorum illustrissimorum *Braunii, Curtii, Drobischii, Eckstenii, Langii, Lipsii, Ritschelii, Voigtii, Zarnckii,* exercitationibus interfui quas et Lipsius et Ritschelius moderabantur. Quinque semestribus peractis Gryphiswaldiam transmigravi ac per quinque semestria viros audivi disserentes illustrissimos *Hillerum, Kiesslingium, Preunerum, Schuppium, Susemihlium, Vogtium, de Wilamowitzium, Wilmannsium.* Seminarii philologici quod auspiciis *Hilleri, Kiesslingii, de Wilamowitzii* florebat sodalis per unum semestre fui extraordinarius, per tria quae subsecuta sunt ordinarius, per unum senior. Denique exercitationes Aristotelicas a *Susemihlio,* germanicas a *Wilmannsio, Reifferscheidio, Vogtio,* archaeologicas a *Preunero* philosophicas a *Schuppio* institutas frequentare mihi licuit.

Quibus viris omnibus imprimis vero *Kiesslingio* et *de Wilamowitzio* debitas habeo gratias semperque pio animo habebo.

SENTENTIÆ CONTROVERSÆ

I.

In Plauti Trinummi cantico (v. 223 sqq.) pro insiticio habendum esse versum decimum „ad aetatem agundam“.

II.

Eiusdem cantici versum octavum sic scribi debere
„Amorin me an rei obsequi potius par sit“.

III.

Uxori Philetae poetae nomen fuisse *Βιττίδα*.

IV.

Theocritum verbis (XVI. 42) „*τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τῆνα λιπόντες*“ ad versum epigrammatis quod in Sardanapalli tumulo inscriptum fuisse ferebatur alludere consulto hunce (cf. Athen. lib. VIII. p. 335 sq.)

(*κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ σὺν ἔρωτι τέρπν' ἔπαθον·*) *τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.*

V.

Quae apud Pausaniam (IV 33. 5) cum lapide Andaniensi consentiunt non ex ipsa inscriptione sed ex periegetae libro fluxisse; hinc explicari cur Magnos deos Pausanias omiserit.